





1699.

1. Brücknerus, Wilhelmus Hieronymus: De reconvocatione
2. Floridius, Henricus Smetsius: De praesentia partis  
in negotiis seculanis et ecclesiasticis
3. Friesen, Ioh. Bernhardus: De postulantibus pro aliis  
sine mandato.
4. Lyncker, Mr. Christoph, de: Coll. jur. decanus & P. s. ch o.:  
(ad Disputationem solemnum Lutonae Bode invitata).
5. Lyncker, Ric. Christoph, Coll. Jur. decanus P. s. ch o.  
(ad electionem solemnum Sebastiani Tritonii Koch invitata).
- 6<sup>o</sup> = Lyncker, Nicolaus Christopherus, de: De mandato rei Turpis  
2 Sept. 1730 - 1748
7. Lyncker, Ric. Christopherus, de: De evictionibus  
(praestandis).
8. Lyncker, Mr. Christopherus, de: Commentatio in jis  
patris statuti civitatis Lynsburgii. Pars communis:  
de statutis civitatum provincialium.



1699.

9. Schack, Johannes : De simplici gaesela .
10. Schubartus, Georgius : De nominatione ad honores  
publicos —
11. Schubartus, Georgius : Meditatio mortis ex primo iure  
objecto .
12. Stevotius, Dr. Hieronimus : De puerula variolae  
malignis laborante
13. Stevotius, Dr. Philippus, Fac. iur. Decanus : Programma  
lectionis auspicali Christiani Guilielmi Schmidtii  
præmissione . actore
14. Wildvogelius, Christianus : De actæ invito .
15. Wildvogelius, Christianus, Collegii iuriæ Decanus :  
De canibus angelicis ad can. LV. d. Courses. diss. I.  
Programma inaug(rationem) cursonem Augusti Bohmii  
Talandri invitat.

1699.

16<sup>a</sup>, ~~g~~, <sup>c</sup> Wildvozelius, Christianus : De eo, quod justum  
est circa uiles exustas. 3. Enagl. Rei. 1719, 1738

1747.

16<sup>b</sup> Spizius, Felix : De procuratoribus canoniciis.

174<sup>a</sup>, ~~t~~ Wildvozelius, Christianus : De translatione p[re]dicorum.  
missi. 2 Enagl. 1699 i 1737

18. Wildvozel, Christianus : De quotidianis.

19. Wildvozelius, Christianus, Collegii Titorum Decanus :  
De dominis rerum paternarum ad § 2. T. A. Hered.  
gual. et. offer. Programma inaugurale (ad electionem  
cursoriam Iohannii Alberti Gulymeri invitata).

20. Wildvozelius, Christianus : De concordibus litteris.

21. Wildvozelius, Christianus : De documentorum recognitione

22. Wildvozelius, Christianus, Collegii Titorum Decanus :  
De charactere intellectu et cap. 16. A. longo. ordinis  
Programma inaug (ad electionem cursorum Christiani Schenckii  
invitata).

1699.

23. Wildvogelius, Christianus : *De processu concursus  
creditorum in pro Saxonico rite formando.*
24. Wildvogelius f Christianus : *De petitionibus bonorum  
prosletorum.* Druckt. 1699 & 1748.
25. Gemmell, Ich. Casper : *Bacchanalia christiana*

33  
2160

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> ACADEMICA  
DE  
**PETITIONIBVS  
BONORVM FISCO  
DELATORVM**

*Von*  
**Wissbung heimgefallener Guther,**

*Occasione Lib. 10. Tit. 12. Cod.*

QVAM

S V B P R A E S I D I O  
**CHRISTIANI WILDVOGELII**  
JCTI FAMIGERATISSIMI, SERENISSIMI DVCIS  
SAXO ISENACENSIS CONSILARI<sup>I</sup> STATVS INTIMI, CURIAE  
PROVINCIALIS ET SCABINATVS, NEC NON FACVL-  
TATIS IURIDICÆ ASSESSORIS, VT ET PRO-  
FESSORIS PANDECT. ORDIN.

PVBLCÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

**ERASMVS CHRISTIANVS TIMMEN,**  
MAGDEBURG.

*AD DIEM APRIL. A. O. R. M D C X C I X.*

VITEMBERGAE

EX OFFICINA HAKIANA.  
MDCCXLVIII.

(4)

*Jena 1699*

ACADEMIA CITATISSIMA  
SOCIETATIS  
BORGIANA M. H. B.  
DITHYORAE

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF BRISTOL

BRISTOL LIBRARIES  
UNIVERSITY OF BRISTOL  
VENITIEN



I. N. 3.

## DISSERTATIO ACADEMICA

*ad Tit. 12. Lib. 10. Cod.*

## DE PETITIONIBVS BONO- RVM SVBLATIS.

### §. I.

**O**ccupatis a congregata in universitatem multitudine terris, eam quoque potestatem sibi jure in capitas provincias asseruerunt gentes, ut tatus fundus cum omnibus accessionibus & juribus annexis populo cederet dominanti. Ipsum enim dominium non tantum rei substantiam afficit, sed fructus etiam, commoda & onera rei complectitur. *l. 59. d. R. J. Struv. Ex. Cir-*  
*vil. u. §. 3.* nec minus res comprehendit. *l. 6. 7. ff.*

A 2

de

*de rei vind. sed late etiam sic dictum, personas & incolis teuer. l. 37. ff. ad municip. cap. 55. pr. X. de appellat. l. 215. d. V. S. l. 2. & 9. d. bon. poss. sec. rab. Mey. pag. 7. dec. 205. num. 7. Quæ quidem bonorum universitas, uti quoad substantiam in totius remansit reipublicæ patrimonio, ita quoad usumfrumentum & disponendi in salutem civium communem arbitriom inter reliqua jura majestatica ad principem censeretur delata. Arnis. d. Jur. Majest. L. 3. c. 6. Grot. d. J. B. & P. l. 1. c. 3. Puffendorff. d. J. N. & G. l. 7. c. 4.*

### §. II.

*Quod quidem imperiale civitatis jus tam late se extendit, ut non saltem complectatur bona, quæ nunquam sub dominium & possessionem specialiter venerunt, sed etiam ea comprehendunt, quæ dominio subjecta rursus per derelictionem, deficientem successorem, vel ob crimen vacare dicuntur. z. z. C. d. bon. vacanc. §. 46. I. d. r. d. Quæ & ideo cessante privato, in publicum recidunt universitatis domiaum atque idcirco ad Principis administrationem fisco deferuntur. l. 1. ff. d. J. fisc. Struv. Ex. 38. §. 41. Vel etiam Magistratui civitatis municipalis cedunt, si ille ex singulari privilegio vel consuetudine jus bona vacantia sibi vindicandi impetraverit. Mey. ad J. L. bec. l. 2. r. 2. art. 14. num. 55.*

### §. III.

## §. III.

De quibus quidem bonis ex causa vacantiæ ad fiscum devolutis, et si plurima hinc inde, tum in Legibus Civili Justiniani, tum etiam passim more & consuetudine quorundam locorum constituta reperiamus; tamen istæ constitutiones inter omnes memoratu dignissimæ, quæ in Cod. Justinianeo. Lib. X. Tit. 12. habentur; quas proinde presente tempore, loco specimenis Academicis explicare B. C. D. aggredimur; ubi explicatis simul quæ ad vocum notationes pertinent necessariis, ad inscriptionem, tempus, auctorem, rationem & reliquas legum circumstantias dilabemur, omniaque pro operis & ingenii instituto exequi annitemur.

## §. IV.

Nec quisquam, puto, nobis vitio vertet, quod ea hic jure retractare cogitemus, quæ usu fere detrita & in aulis Principum paradoxæ penitus videntur; cum præter cathedræ scholasticæ libertatem ea sit justitiae indoles, ut absque terrore, nullo personarum respectu habito, jus dicat. I. 10. ff. d. I & I. Richt. Dec. 10. num. 4. & seqq. Struv. Ex. civ. i. §. 15. & seqq. Neque enim hic principalem munificentiam in conferendis bonis vacantibus arrodimus, sed temeratam saltem illorum licentiam autore Imp. improbamus, qui avaritiae studio ejusmodi bonis inhiant, non sine reip.

A 5

detri-

detrimento aut bonæ conscientiæ macula, dum ea sibi  
soli perverse experti, quæ communi civitatis & reip.  
usui inservire deberent.

### §. V.

Hæc igitur inverecunda petentium inihiatio, pri-  
ma fuit & genuina causa, quare libera olim bonorum  
in fiscum, vacante successore, illatorum postulatio  
fuerit saluberrimis his Imp. constitutionibus pragma-  
ticis sublata. Et recte sane, cum bono Principi omnia  
ea facienda incumbant, quæ in commodum civitatis  
& Reip. emergunt. c. 33. X. d. jurej. l. fin. C. si constr.  
jus Brunneman, ad b. t. Perez. eod.

### §. VI.

Accedebant præterea rerum civilium turbæ, &  
exhaustæ ærarii publici facultates, quæ sub Imperato-  
ribus Gratiano, Valentiniano & Theodosio maxime  
perturbabant Imperium, quibus omnibus succurren-  
dis hæc imperatoria sanctio fuit promulgata, & po-  
stea nova addita, confirmata in sanctissimum Impera-  
toris exemplum, qui sibi semper constare debet, uno-  
que spiritu & calamo reipubl. salutem tueri. l. 4. C.  
d. LL. Brunnem. ad d. l. Non minus porro publica  
accusandi & criminandi licentia, quæ istis turbis ir-  
repserat, plurimum addidit causæ ad sanciendas bas-  
leges. Cum enim frequentes essent accusationes cri-  
minis læse majestatis, plurimi delatorum non tam  
amore

amore vindicandæ justitiae, quam spe lucri captandi,  
& bona ob crimen fisco obvenientia auferendi in ju-  
dicio rapiebant divites quosque. Quibus calum-  
nis ut obviā iretur, & avaritia simul delatorum de-  
prædantium rempubl. refrænaretur, hisce jussionibus  
optime est cautum.

### §. VII.

Cæterum quod quidem ad primam citati tituli  
legem attinet, videretur hæc ipsa Constitutio fragmen-  
tum esse amplioris Constitutionis, quæ in Cod. Theo-  
dosiano divulsa sub variis titulis legitur. Ipsa quidem  
habetur in Cod. Theod. Lib. 10. Tit. 10. d. Petri. & alio  
dati & Delatori: ubi in l. 15. quoad integra verba ex-  
tat. Jungenda cum eadem Constitutione videretur. l. 8.  
& 9. Cod. Theod. d. bon. proscript. advertente Jacobo  
Gothofredo. Quæ etiæ non uno eodemque die datae,  
cum d. l. 15. XVII. Kal. Decembris. l. 8. & 9. vero XV.  
Kl. Julii habeant, iisdem tamen Augustis, iisdem Coss.  
eodem loco, ad eundemque Eutropium omnes scri-  
ptæ ipsiusque contentis consentiunt. Verum & in an-  
teriorum Impp. Constitut. aliqua hujus juris vestigia  
deprehendimus, uti patet ex sanctione Diocletiani &  
Maximi. AA. ad Eucharium in l. 1. C. d. bon. vac. Lib. X.  
in f. verb. Quæcunque intestatorum bona civitatibus ob-  
zenui privilegiorum suorum occupata esse compereris, ad  
officium nostrum eadem revocare non dubites. In eundem  
etiam fere sensum habetur ap. Cassiodorum l. 7. va-  
riar. form. 44. Nescio quid, inquit, grande de se vi-  
deatur

detur promittere, qui loca desiderat publica possidere.  
 Hæc enim ita fieri decet, si res squalida in meliorem lo-  
 ci faciem transferatur, & revocetur ad ornatum, quod  
 pridem videbatur jacere incolum. Arque ideo deside-  
 ranti tibi illum locum proprietario concedimus, præter ær,  
 aut plum bum, vel marmora, si tamen tibi fuerint latere  
 comperta. Age itaque ut per te sumat decorum, quod  
 neglectum incuria vetustate jacuerat. Quatenus boni ci-  
 vis laudem invenire merearis, si faciem tuæ civitatis  
 ornaveris: securis etiam ad posteros transmissurus,  
 quod proprio fuerit labore compositum. Quia tanto for-  
 mius unusquisque possidebit, quanto se autoresque suos  
 amplius expendisse probaverit. Ex quibus satis intel-  
 ligimus jam iis temporibus non sine restrictione &  
 sub lege meliorationis veluti in emphyteysi forte  
 loca fiscalia concedi fuisse solita, maxime sub cura  
 ornatus urbici. l. 46. pr. ff. d. damno infect. l. 7. ff. d. off.  
 præf. l. 8. in fin. C. d. ædif. priv. Quod dein nostrorum  
 Imperatorum sanctionibus perfectum & penitus est  
 sublatum. Secundæ legis hujus tituli nulla quidem  
 in Codice Theodosiano inventur mentio, credibile  
 tamen est eandem ampliationis gratia esse latam, for-  
 te contra fraudes sollicitantium, qui legem priorem  
 in bona ob crimen læse majestatis confiscata conce-  
 ptam nimis stricte interpretatam voluerent, aut fur-  
 tim per Palatinorum operas Principi obrepere, unde  
 ad magis arcendas importunæ avaritiae artes & latius  
 extenderunt legem, & studium gratiamque Palatino-  
 rum nova addita sanctione pœnali refræraront Imper-  
 atores. conf. l. 1. C. d. LL. l. 29. & 30. ff. d. LL.

§. VIII.

## §. VIII.

Variant Interpretes circa tituli inscriptionem.  
 Quæ in Corpore Juris a Gothofredo cum notis edito  
 habetur, est: DE PETITIONIBVS BONORVM  
 SVBLATIS. Dissentientem inscriptionem allegat Luc.  
 d. Penna in *Comment. Cod. ad b. z.* quæ ita se habet:  
 DE PETITIS BONORVM SVBLATIS. Ipse ta-  
 men cum Gothofredo facit, & allegatam inscriptio-  
 nem ex incuria & negligentia sribentium irrepsisse  
 opinatur. Cujacius tamen ex veteribus Codicibus  
 non male DE PETITIS inscribi autumat, adducto  
 ex Suida loco; *marita p̄ouānū dēlīc̄tūv̄ dē yuāḡr̄pa*  
*ātīc̄w̄e.* Ita & hæc ex usu illorum temporum  
 fatis verosimiliter dicta videntur. Nec tamen ratione  
 destituitur, forte ista ætate per abbreviaturam inscri-  
 ptum fuisse: DE PETITIS BONORVM SVBLATIS  
 deinde sequioribus seculis pro genio amanuensium  
 modo per PETITA, modo per PETITIONES esse  
 expressum. Pluries tamen PETITIONIS vocabu-  
 lum in jure nostro occurrit, ut legimus DE PLVS  
 PETITIONIBVS, DE HEREDITATIS PETITIO-  
 NE, l. i. & 3. ff. d. hered. petit. & generaliter petitio-  
 nis vocabulo comprehenditur, quicquid ab altero  
 ex quocunque jure aut studio impetrare desidero.  
 l. 178. d. V. S. ib. Gadd. Ex qua tamen veteri appella-  
 tione remansisse adhuc videtur PETITORIS voca-  
 bulum, quo significatur is, qui aliquid exigit, po-  
 stulat, desiderat. l. 31. ff. de judic. l. 27. §. 2. ff. d. R. V.

B

Olim

Olim PETITORES maxime dicebantur illi, qui in Principis obsequio & protectione erant constituti. Symm. l. 10. Ep. 55. Leguntur & COMPETITORES l. 30. 31. 30. C. Theod. b. t. Unde in hoc argumento & COMPETENDI verbum. l. 27. in f. Cod. Theod. d. t. & COMPETITIONIS l. 29. 30. eod. l. 23. C. Theod. d. bon. proscript. Cujac. ad l. 2. C. b. t. Habetur & PETITORIVM, uti judicium petitorum, ubi ipsa res vel jus in rem competens petitur, l. 36. ff. d. R. V. Inde & PETERE verbum quandoque precarium est, & fideicommissis atque legatis convenit, t. z. ff. si pars hered. peratur. l. 13. ad Sc. Trebell. Interim merito nos vulgarem inscriptionem Gothofredi sequimur, partim quia ista cum Codice Theodosiano congruit, partim quia maxime usui & analogiae juris respondet, ut hinc memores canonis: *jura juribus debere concordare*, verba quoque materiae conciliare laboremus.

### §. IX.

Auctorem legis prioris facimus ipsum Theodosium M. quod tum intelligimus ex eo, quod rescriptum ad Eutropium datum sit, qui sub isto Theodosio praefecturam prætorii gescit, tum ex loco editi rescripti, qui est civitas Thessalonica, urbs Graeciae ad Orientem pertinens, cuius imperium iste Theodosius Orientis Imperator habuit, & initio quidem sui imperii conditum esse, capimus ex subscripto anno suo consulatus primo; vivis adhuc Gratiano & Valentianino Imperatoribus, quorum nomina ex

ex more Cancellarie imperialis simul fuerunt præfixa. Altera lex lata est a Theodosio II. cuius imperium cum Valentiniano III. in annos in subscriptione memoratos incidit. Boxh. *Cronol.* p. 35.

### §. X.

Inscripta est prior Constitutio ad Eutropium præfectum prætorio sub Theodosio M. Plures ab eodem ad hunc scriptas reperimus, uti l. 2. C. d. summ. *Trin.* l. 4. C. d. mod. mult. l. 21. C. d. oper. publ. 6. C. d. custod. reor. l. 10. d. sec. nupt. l. 4. C. ad SC. *Tertull.* &c. Habeamus & alium ejusdem gentis, ad quem a Leone & Anthemio Impp. A. A. inscripta est l. 33. & 34. C. d. *Episc.* &<sup>et</sup> *Cler.* Eum tunc temporis præfectura functum fuisse, pater ex Gregorii Nazianzeni Ep. 137. & 138. ad eundem datis, dum & αεχῆς ejus meminit, & eundem vocat μάγιον ἀρχοντα, & οὐφηλάτατον θρόνον habuisse dicit, quale tribunal fuit Prælectorum prætorio. Altera inscripta est ad Florentinum, itidem Præfectum prætorio, ad quem ab iisdem Imperatoribus directæ leguntur l. 10. C. d. SS. *Eccles.* l. 22. C. d. *Episc.* & *Cler.* l. 2. C. d. bon. maternis. Ad eundemque pleraque Novellæ Theodosii datæ. Erat autem Præfetus præt. e magistratibus Romanorum ordinariis. Qui primum magistratus ab Imperatoribus constituti, ut præfissent cohortibus aulæ seu militibus, quos in sui custodiam alebant principes. l. 2. §. 15. & 19. ff. d. O. & l. un. pr. ff. d. offic. præf. præt. Struv. *Exerc. civ.* 4. §. 12. Guid. Panzirol. *Notit. Imp. Orient.* c. 5. Autor ejusdem fuit Augustus,

gustus, qui unum primo, postea duos ex Mæcenatis  
 consilio constituit, ut si unus principi infidus, alte-  
 ro se tueretur. Dio. l. 52. Insigne eorum fuit gladius.  
 Plin. Panegyr. c. 67. dein carpentum. Cassiodor. l. 6. var.  
 form. Creabantur ex equestri ordine. Dio. l. c. postea  
 & ex senatorio. Lamprid. in Alex. Sever. c. 21. Faber. Se-  
 mestr. l. i. c. 3. Vinctorum quoque & captivorum cu-  
 ram agebant. Plin. 10. Ep. 65. Potestas deinde eorum  
 pedetentim crevit, ut postea omnium castrorum regi-  
 men sibi vindicarent. Imo & capessendæ reip. manum  
 adhibuerunt, ita, ut parentes Imperatorum appella-  
 rentur. Grut. Inst. f. 439. n. 4. Capitol. in Gord. l. 3. c. 27.  
 Et primus quidem Antonius cepit secum Præfectos  
 habere, quorum auctoritate & periculo jura dictaret.  
 Capitol. in Anton. Deinde Commodus Imp. omnes  
 iisdem curas permisit. Pancirol. l. c. Struv. Ex. Civ. 4.  
 §. 13. Inde cognitionem causarum civilium habuerunt.  
 l. i. C. d. off. præf. prætor. l. 16. C. d. judic. l. pen. C. d. fide-  
 jus. l. un. C. d. sentent. præf. prætor. imo & crimina  
 vindicandi potestatem habuere. Val. Max. l. 6. c. 1. §. 1. 8.  
 c. 4. Maxime etiam & curam rei fiscalis & bonorum  
 confiscatorum gerebant, ut Cassiodorus autor est. l. 6.  
 var. form. Quædam, inquiens, huic dignitati & no-  
 bis cum jura communia sunt. Exhibit enim sine præscri-  
 ptione longinquos, magna quantitate multat errantes,  
 scum pro sua deliberatione distribuit, electiones simili  
 potestate largitur, vacantia bona proscribit, delicta pro-  
 vincialium judicum punit, verbo sententiam dicit. Quid  
 est, quod non habeat commissum, cuius est vel ipse ser-  
 vus judicium? Constantinus demum M. quatuor con-  
 stituit.

stituit. 1) per Orientem. *I. 32. pr. & §. 2. C. d. appell.*  
*lat. 2) Illyricum 3) Italianam & Africam. I. pen. inscr. ff.*  
*d. conser. Emt. 4) Gallias, Hispaniam & Britanniam. I. 38.*  
*40. C. d. decur. l. i. C. d. offic. Vicar. I. 16. C. Th. d. appellaz.*  
 E numero igitur Præf. præt per Orientem & hos fuisse ex dictis facile constat.

### §. XI.

Data est prima lex XVII. Cal. Dec. Thessaloniae,  
 urbe Græciae, anno Christi 380. Gratiano V. & Theod.  
 I. AA. Conf. idque concordia fastorum probatur. vid.  
 Onuph Panvin. *I. 3. fast. p. 300.* Secunda XI. Kal. Maii  
 Theod A. XVIII & Albino Coss. A. C. 444. Fuit hic  
 Cæcina Decius Albinus, alias Præf. tunc Theodosio  
 Jun. Consul. vid. Panvin. *p. 350.*

### §. XII.

Casus legis prioris hic est: Bona condemnati ex  
 crimine læse majestatis nullus sibi concedi petere de-  
 bet, perens autem tanquam violator legis erit puni-  
 endus. Et si forte nimia mentis importunitate bona  
 per rescriptum concessa inveniantur, ista sunt revo-  
 canda: ea tamen proprio motu & mera liberalitate  
 collata valent. *Luc. d. Penna b. l. Posterioris*, hic  
 est; Nullus nec in dignitate principali constitutus  
 bona ad fiscum devoluta sibi petat, si petierit, aut  
 petitioni operam adhibuerit, pœnam incurrat; si  
 per sub & obreptionem impetraverit, concessio ipso  
 jure

B 3

jure habetur invalida. Ejusdem ergo argumenti sunt leges, & altera quidem complementum prioris.

### §. XIII.

Quarum quidem severa legum auctoritas quo minus adhuc valeat aut valere debeat, nihil obstat. Cum & generalis hoc inculcat regula. *I. sancimus.* 27. *C. d. testam.* tum & specialis rei fiscalis ratio plurimum exigat. Saltē dolendum, quod, cum quilibet Cameræ principalis Praeses pecunia parandæ omnem operam, manū consiliumque adhibere studeat, hoc ipsum negligatur honestissimum fisci locupletandi medium, malintque alii aliis quacunque arte sua eripere, quam se a rep. præda & rerum fiscalium intempestiva avaritia cohibere; Recepta præterea generalis in Imperio Codicis Justiniane autoritas & huic titulo suum valorem conciliat. Ut etiam Constit. Elect. Brandenburgica inter expeditiones Fisci, confessiones bonorum refert. vid. Magdeb. nelle Proces- Ordin. cap. 51. §. 1. Ferner gehören zu des Advocati Fisci expedition &c. Nec neglectus hucusque usus ei quid derogat, cum satis notum sit, solum non usum legem nequitam tollere. Accedit, quod iste, qui in aulis apparet, usus contrarius plerumque inscio juris patrii Principe contingat, ut hinc consensum ejus derogatorum tacite elicere non liceat. Immo et si Princeps in suo territorio vel expresse vel tacite legi isti derogaverit, tamen Imperio præjudicare non poterit, quo minus & hæc Constitutio semel recepta

cepta in illo valeat, cum ea, quæ communi Imperii consensu recepta sunt, non nisi totius etiam abrogari queant.

### §. XIV.

Et hinc afferere non dubitamus, quin adhuc fiscus contra rerum fiscalium possessores agens, fundatam habeat intentionem, ita ut possessor non minus ad item contestandam, quam titulum possessionis edendum sit obstrictus. *l. 46. d. edend. l. 3. ff. eod.* Omnis enim possessio, quæ contra leges est, pro nulla reputatur. *l. 8. g. C. d. acq. poss.* & inde nec titulum præberet, nec ab onere probandi liberat. *l. u. C. d. petie. ber.* Nec minus porro judici incumbit vel ex officio, vel ad instantiam delatoris aut accusatoris, in possessiones ejusmodi aut frivolas petitiones & impetrations inquirere. *arg. l. 13. ff. d. off. præf.* Estenim hoc delictum lege publica notatum, quod merito idcirco ex officio a judice puniendum est. *l. 9. § 5. ff. d. public.* *l. 2. C. d. commerc.* *Bronn. d. Process. inquisit.* *l. 1. c. i. num. 12.* Erit autem hic judex competens non solum princeps, exemplo forte *l. un. C. si quis Imp. maledix.* sed quilibet Magistratus merum imperium habens. Quia hujus delicti cognitio nem & vindictam sibi soli Princeps non reservavit, inde, quin ad omnes pertineat illos, non dubium. Nec obstat r) quod in adversantibus petitionibus virorum illustrium princeps certam pœnam non expresserit, adeoque suo arbitrio relictam velle videatur. *Resp. enim, id quidem eatenus crimen extraordinarium, arguit,*

guit, non tamen minorum Magistratum potestatem excludit, ad quorum cognitionem & crima extraordinaria spectant. *r. r. d. crim. extraord.* inde tamdiu regulæ standum, donec probetur exceptio. Nec 2) obstat, quod proscriptio bonorum, quæ inferioris ordinis ministris in casum violatæ legis imminet, imo & tota causa, res fiscales concernat, hæ autem ordinarii forum non fortiantur. *Mev. p. 5. d. 265.* *Struv. Ex. 9. §. 38. n. 3.* Resp. enim; Pœna non infligitur rei, sed personæ, quod si igitur sit aulicus, vel alius regimini Principis immediate fuerit subjectus, facile constat, Principis esse vindictam & cognitionem; si vero magistrati municipali subditus, huic erit cognitio; quamquam Principi liberum sit vel ex causa superioritatis territorialis, vel ex causa delicti in aula & cancellaria commissi, causam ad suum judicium avocare, nulla litis præventione aut pendentia obstante, quæ contra superiorem Principem nihil operatur.

### §. XV.

Duplex ergo ex hac lege descendit actio; altera *Criminalis*, altera *Civilis*; De priori *præced.* §. vidi mus, saltem adhuc notandum, quod isti non nisi vi cennio a temporæ insinuatae petitionis præscribatur. *arg. l. 12. C. ad l. Corn. d. falsis.* Persequitur autem ista pœnam extraordinariam, si quidam ex viris illistribus petitioni manum, consilium aut suffragium ad moverit. Quorum quidem officiorum nomina eti hodie in usu esse desierint, tamen communis Doctorum

rum consensu ex munerum cognatione accipiuntur pro Cancellario, Consiliario & reliquo aulae aut Cancellariae ministris, qui proxime latus principis circumstant. Quod si horum ambitu aut auctoritate quid fuerit e fiscalibus petitum aut impetratum, dictam pœnam extraordinariam incurront. Per Memoriales & reliquos Palatinos, intelligunt secundum hodiernum Curiae stylum, Secretarios & alios ministros qui scripsi principium operantur, quorum frivola in sublevandis petitionibus opera proscriptione bonorum notatur. add. *Luc. d. Penna b. r.* Reliquis vero, qui extra Principum aulas aut ministeria vivunt, pœna certa statuta non est, sed saltem ut violatae legis rei damantur, unde pœnam extraordinariam locum habere putamus. Alii quidem pœnam sacrilegii infligendam autumant, *Cujac. ad h. t.* Verum eti nomen idem per metaphoram tribui possit, tamen facta in se, detracto respectu civili, sunt prorsus diversa, & hinc diversam pœnam involvunt. Neque enim quæ paulo laxius dixisse videtur Imperator, hic sunt attendenda, sed pro ratione pœnarum stricte interpretanda. Illud adhuc disquirendum; num etiam magistratus civitatis municipalis, qui ex singulari consuetudine vel privilegio jura habet fiscalia, possit ejusmodi proscriptorum bona in suo territorio sita occupare? Quod nos omnino affirmandum arbitramur; et si enim pœna infligatur personis, istæ autem cancellariae subsint, adeoque forum magistratus oppidanum non agnoscant; Tamen cum res sint connexæ territoriali fisci juri, ipsaque commoda fiscalia potissimum ipsas

C

res

res respiciant, utique ex natura hujus juris fluet, quod & bona illorum ad magistratum oppidanum pertinent, sub sua provincia sita, eti persona quoad se aliud agnoscant judicium. Hoc tamen interesse putamus inter vindictam magistratus oppidani & Principis, quod a Principe quidem pena libere remitti possit, neutiquam vero a magistratu civico sine consensu superioris Principis. Vti porro libera bonorum fiscalium concessio a Principe proprio motu facta satis tuebitur concessorem, ita minus tutus erit, qui a solo magistratu oppidano jus fisci habente ejusmodi bona sponte impetraverit, nisi accedente consensu civium vel eorum qui civitatem repräsentant, fiat collatio.  
arg. l. 27. ff. d. R. C.

### §. XVI.

Altera actio est civilis, quæ datur fisco adversus rei fiscalis possessorem illegitimum, quæ in foro rei sitæ intenditur, & non minus rem quam fructus rei perceptos persequitur. arg. l. 20. §. 6. 12. ff. d. bered. p. 11. l. 22. 25. ff. eod. Et quidem hoc loco rei vindicatio. Cum enim bonorum fiscalium concessio habeatur ipso jure nulla, utique dominium fisci integrum manebit, & inde dabitur rei vindicatio. l. 3. 6. ff. d. r. v. Perez. ad Cod. b. t. n. 4. Nec præscriptione tollitur, nisi sit longissimi temporis. l. 3. 4. C. d. bon. vacan. l. fin. C. d. fund. patrim. Struv. Ex. 43. §. 19. Idem & iudicio possessorio potentior erit, & citra penam. l. 7. C. und. vi & l. 13. ff. q. m. c. nec non possessionem propria autoritate occupare potest, si vacua sit. Mev. ad Jus Lubecen. l. 2. 11. 2

*cit. 2. art. 14. num. 71. Sin tamen contradictor adsit,  
judicio opus est. Struv. Ex. 50. §. 34.*

### §. XVII.

Nihil autem interesse existimo, quis petat; Est enim ea legum potestas, ut universus obliget, qui specialiter non docentur excepti. *I. 5. C. d. LL. I. 15. ff. eod.* Nec interest, an quis suo an alieno nomine petat, quia factum habetur per se vitiōsum & contra leges, quod nulla officii necessitas aut alieni negotii cura excusat. *arg. I. 15. ff. d. condit. inst.* Nec error aut ignorantia juris a pœna immunem praestare poterit petitorem, quia est culpabilis, qui peritiores consulendo facile excuti potuisse. *I. 2. 3. 9. ff. d. jur. & fact. ignor.* Nec porro aut tutor aut procurator nomine pulli bona ejusmodi impetraturus pœnam frivola petitionis effugiet, licet enim uterque ex officii ratione ad commoda sui principalis promovenda teneatur, tamen ita quoque illius facultas est terminata, ut nihil contra leges, nihil cum detimento solutis publicæ acquirere debeat. *I. 3. 9. ff. d. adm. & per. tut. I. 3. ff. d. aut. & conf. tut.* Nec perro Ecclesiæ petere licitum, quia sanctio Principis non minus secularem quam clericos obstringit. *I. 1. 2. C. d. LL. I. t. C. d. SS. Trinit.* urpote qui Imperator & Pontifex est in suo territorio. *§. Gaudeant. 8. Inst. P.* Nec filius patris bona forte ob crimen ad fiscum devoluta petere potest, quia, et si familiarum favor in jure sit maximus. *Tiraqu. d. retr. gentil. C. i. pr. & seqq.* tamen contra publicum fisci privilegium

vilegium prævalere non potest. arg. I. 2. ff. d. f. & f. I. 35.  
*f. d. relig.* Non tamen eo ipso petere sua bona in fisci  
 vel fequestrum vel patrimonium delata prohibentur,  
 qui aut abolitionem criminis impetrarunt, vel contra  
 sententiam sunt restituti. Est enim ille restitutionis  
 effectus, ut omnia in pristinum statum reponat; nec  
 etiam ea quæ reipubl. sunt aut fisci noviter petunt,  
 qui sua repetunt, idque ex munificentia principa-  
 li, a qua & aggratiatio & hic effectus bonorum restitu-  
 tionis processit. Nec præterea huc pertinent omnes  
 illi petidores, qui ex jure ante fiscum quæsito bona  
 ab eodem sibi restitui postulant. Qui enim jure suo  
 utitur, nemini facit injuriam, & semper Principis con-  
 stitutiones intelliguntur sine præjudicio tertii.

### §. XVIII.

Cæterum accurrunt hic specialiter quædam per-  
 sonæ, quarum opera in adjuvandis ejusmodi petuio-  
 nibus gravi pœna improbatur, & sunt 1) Quæstor. Per  
 Quæstorem autem intelligimus illum, quem describit  
 Vlpianus. *I. un. ff. d. off. Quæst.* eratque ex numero eo-  
 rum, qui Candidati Principis dicebantur, item Quæ-  
 stores Palatii. *I. 32. C. d. appellaz.* & solis literis principali-  
 bus in senatu legendis vacabant, quiue epistolis ejus  
 in senatu legebant. Conf. Guth. *d. offic. dom. Aug. I. 2. c.*  
*I. 38. Dio I. 54. p. 539.* itemque orationes principum in  
 senatu recitabant. Tac. *ann. 16. c. 27.* Atque illud po-  
 tissimum sub Augusto obtinuit. Sueton. *Aug. c. 65. Eber-*  
*lin. d. orig. Jur. c. 19. n. 11. 12.* In sequentibus deinde  
 tem-

temporibus dignitas & auctoritas illorum crevit, ita,  
ut legum, precum, laterculique minoris (h. e. codi-  
cis, quo consignata continebantur omnia officia, digni-  
tates & administrationes civiles & militares,) cura penes  
eos esset. t. t. C. de off. Quæst. & responsa Principis sub-  
notarent, ac omnem denique juris & iustitiae admini-  
strandæ directionem in aula haberent. l. ult. C. d. divers.  
rescript. l. 2. C. Tb. d. Quæst. mag. off. Nov. 53 & 114. t. t.  
C. d. off. Quæst. Cujac. ad b. t. Struv. Ex. IV. tb. 20. Sigon.  
l. 2. antiqu. Rom. c. 2. II) Comes rerum privatuarum;  
erat autem hic judex & gubernator privatæ substantiæ  
Principis, quique & reliqua fiscalia commoda & cau-  
fas fiscales percensebat, l. un. C. d. off. Com. ver. priv.  
Guther. l. c. l. 3. c. 25. Luc. de Penna. ad b. l. 2. n. 3.  
Utrique Magistratus supra laudati dicebantur Illustres.  
l. 3. C. ubi senat. vel. clarissimi. Qui quidem titulus plu-  
ribus magistratibus a principe institutis erat commu-  
nis. l. 36. d. appellat. l. 15. C. d. suscep. præp. & arcav.  
l. 1. C. d. ratioc. op. publ. Luc. d. Penna b. t. Guther.  
l. c. l. 1. c. 10. III) Memoriales qui erant certi præse-  
ti scrinio principis, ubi adnotaciones vel pragmaticæ  
fæctiones, preces, edicta, rescripta Principis conde-  
bantur, & memoriae causa asservabantur. l. 1. 2. 3. C. d.  
prox. sacr. scrin. Guther. l. c. L. 2. c. 13. & L. 3. c. 7.  
Luc. d. Penn. b. t. n. 7. IV) Palatini itidem certi erant  
magistratus, qui scriniis principum militabant, ibi-  
que officia varia exequabantur. Guther. l. c. L. 3. c. 10.  
Præcipue autem illorum interventu petitiones insinua-  
bantur apud Comitem rerum privatuarum. Jac. Go-  
thofstr. ad l. 2. de petis. bon. subl. in nos. num. n. Oracula

C 3

divina

divina eadem sunt, ac iussa & mandata principum quæ  
a maiestate sua venerabili, divina dicuntur. *I. q. C. d. LL.*  
*Brunnem. d. J. Eccles. L. t. c. 2.*

### §. XIX.

*Bonorum appellatio generaliter hic omnia complectitur, quæ in patrimonio & usu sunt hominum.* *L. 49. 83. d. V. S. l. 136. eod. Gedd. ad dd. LL.* Hic autem potissimum intelliguntur bona fiscalia, it. bona civilia seu Civitatis. *l. 2. b. inf.* veluti sunt opera publica. *l. 19. ff. d. oper. Cujac. ad b. l. Add. Cassiodor. L. 7. form. de Compet. 44.* item bona publica. *Jus publicum* enim hic interpretamur pro usu publico, & ea loca indigitati arbitramur, quæ sunt in patrimonio alicujus provincie vel gentis. *§. 1. J. d. r. d.* Eoque magis hæc bona simul intelligi debent, quo magis constat, olim jus Civium Romanorum fiscale fuisse amplissimum & penes populum Romanum: Ad hujus enim ærarium primis urbis temporibus bona vacantia pertinebant, dein Lege Juria caducaria deferebantur. *Vlp. fragm. tit. 28. §. 7. conf. l. 12. ff. d. bon. poss. l. 22. ff. d. captiv. Dio Lib. 56.* Postea fieri cœpit, ut imperio ad Cæsares translato, plerumque ad fiscum Cæsarum bona vacantia deferrentur. *l. ult. C. d. quadr. prescrip. l. ult. C. d. bon. vacant.* Cassiodor. lib. 6. Var. c. 8. Symmachus. Lib. 10. ep. 15. Quædam tamen & ærariis populi sunt relicta. *l. 1. ff. d. bon. dam. l. 72. ff. d. contr. empr.* Postea stabilita Imperatorum potestare soli Principes sibi suoque fisco bona vacantia vindicarunt. *l. ult. C. d.*

*C. d. quadr. præscript l. 4. ff. d. fideicomun. libert. Imo & omnia jura utriusque ærariorum. l. 13. pr. Et §. 1. ff. d. jur. fisc. l. 2. §. 4. ff. ne quid in loco publ. l. 8. §. 19. ff. d. transaction. l. 1. §. 9. ff. ad L. Corn. de fals. Ex qua ad sumpta sibi potestate Imperatorum & hæ constitutiones de bonis ad civitatis vel provinciarum pertinentibus disponentes valere debent.*

### §. XX.

Referuntur autem inter bona talia non solum ea, quæ jam sunt incorporata & occupata a fisco, sed etiam ea quæ modo delata aut spei caducitatis proxima. Quorum idcirco & *Expectancias* petere prohibitum. Quia quod interdictum est in termino, idem in via censetur prohibitum. Quamvis enim hoc casu incertus mortalitatis eventus & spes, simulque conditio sub esse videatur; tamen sufficit, ipsam expectantiam fieri in casum aperturæ, & eo quidem tempore convalescere, ubi jus reipubl. jam quæsumum, quod eo ipso eluditur. Accidit odium captandæ alienæ hereditatis, quod cum jure civili maxime improbetur. *I. fin. C. d. post.* hic quoque expectativæ plurimum obstat. Idem tamen ad simultaneam investitutram extendendum non arbitror, cum ista statim jus in re tribuat, adeoque eveniente etiam vasalli primi morte, jus nullum in Rempubl. recidat, sed illico ad simultaneæ investitum devolvatur, qui illud jure, non a Republ. translato, sed suo occupat. Cum enim, vivente adhuc vasallo, nec proxime casu aperturæ immi-

imminente, jus domini directi pendeat & dubium sit, nihil quoque simultanee investitus Reipubl. vel Principi detrahere velle videtur, petendo investitum, & inde nec pena tenetur.

### §. XXI.

Simili modo petitio bonorum valebit sub qualitate emphitevtica vel censitica, quia eo ipso cultior & melior sit fisci causa, qui salvo dominio directo, & meliorationes fundi, & canonem & censem acquirit. *t. t. ff. si ag. vell.* Eadem ratione nec pignoris jure sibi expetere, nec alio titulo quoque oneroso comparare bona quis prohibetur, quia his omnibus modis fiscus non redditur pauperior; ita tamen, ut omnes fraudes, circumventiones & cavillationes simulationesque in præjudicium fisci adhibitæ excludantur. *t. t. C. plus val. quod agit. l. 38. 45. ff. d. part.*

### §. XXII.

Nihil autem interest, ex quacunque causa bona fisco fuerint illata: quia hic fisci favor potissimum respicitur, unde constitutio in ejus odium non detorquenda. *l. b. C. d. LL. l. 25. ff. eod.* Ipse enim hæc Constitutiones invicem sunt conjungendæ, ac prior per posteriorem ampliatur, & per verba expressa: *Seu quolibet titulo res fuerit fiscalis: ad omnes casus extenditur Brunnem. ad b. t.*

### §. XXIII.

## §. XXIII.

Porro *Petitiones* hic nihil aliud denotant, quam supplicationes, precationes, intercessiones imo & subscriptiones aut suffragia, quæ pro impetrandis ejusmodi bonis apud Principem adhibentur. *l. i. 2. b. t.* Volunt quidem nonnulli, quod petitio ante confiscationis sententiam non valeat. *Fab. in Cod. L. 9. t. 26. def. 3. Papon. l. 5. s. 10. art. 6. 7.* Quo tamen cause cognitione opus esse arbitratur Boët. *decis. 65. num. 1. & seqq.* Verum præterea quod ex petitioni tali, jam ipse animus contra legem insurgat, merito dicimus, hic non modo eventum petitionis, sed ipsum actum minus legitimæ intentatæ petitionis puniri. *Pro. prio jure poscere* hic significat, sub quacunque specie vel qualitate juris in re sibi quid impetrare velle, & idem est ac *jure proprietatis* petere, neque id solum dominium, sed usumfructum etiam & reliqua proprietatis commoda comprehendit. *l. fin. ff. d. superfic. l. 17. ff. d. serv. rust. præd. l. 4. ff. d. usufr. l. 4. ff. d. usufruct. accresc.* Per *inbiationem* hic intelligimus omnem importunam sollicitationem, malevolam persuasionem & quamcunque bonorum fiscalium captationem.

## §. XXIV.

His tamen omnibus insignis subjicitur in ipso textu limitatio; ut si quid ex bonis talibus Principis  
D judicio,

judicio, nullo tamen desiderante atque poscente, cui-  
piam concedatur, ejusmodi omnino valeat liberalitas.  
Ex quibus constat per donationem liberam omnino e-  
jusmodi bona valide & impune acceptari posse, modo  
tamen ista non sit importunis sollicitationibus elicita.  
Ipse tamen blanditiæ aut aliud gratiæ principalis au-  
cupandæ honestum studium non nocebit. arg. l. fin. ff.  
si quis aliqui. ref. probib. l. ult. C. eod.

### §. XXV.

Ex hisce jam textibus generaliter colligunt. 1) Licite Principem ob importunitatem flagitantium ea constringere posse, quæ antea jure libera & res meræ facultatis esse videbantur. Conf. cap. unic. d. præbend. &  
dignit. extrav. com. Brunnem. ad b. r. Quia in Principis arbitrio positum est, privilegia ante impertiri solita de-  
negare, si ea noxia Reip. appareant. Enen. Baro. d. pri-  
vil. l. i. c. 5. n. 32. 2) In Concessionibus Principum con-  
tra jus commune factis, non præsumi justam causam,  
sed præsumi Principem importunitate & falsis narratis  
supplicantis circumventum esse. Brunn. ad b. L. 3) In  
gravioribus etiam rebus conatum interdum puniri, li-  
cet is nullum habuerit effectum, ut hic in petitione  
rei-fiscalis, quæ licet instruosa, tamen petens reus  
violatae legis habetur. Brunn. ad b. z. Melius enim est  
causam Reipubl. servare intactam, quam post illam  
vulneratam remedium querere. 4) Multa data proprio  
motu, stabilitatem habere, quæ ad preces alicui con-  
cessa irrita sunt. Brunn. b. l. Enen. Baro. d. privil. L. i.

6. 5.

c. 5. n. 28. Est nimurum hoc ex genere eorum, quæ libere data honeste retinentur, sed in honeste petuntur, ut plura exempla in jure nostro habemus. l. 6. pr. ff. l. 7. ff. mand. l. 1. C. eod. l. 2. ff. §. 23. vi bon. rapt. 5) Pœnam majorum virorum, merum minoribus incutere, ut eo magis a delictis abstineant. Brunn. b. 1. Menoch. A. Q. cas. 582. n. 2. 7) Et si ministrorum factum pro Principis facto reputetur, tamen illorum actus Principi nequam præjudicant in iis causis, quas contra leges admiserunt. arg. l. 12. C. mand. 8) Qui in Principis Cancellaria militant, ritus, observantias legesque illius custodire tenentur, deque iisdem rationes reddere. 9) Beneficium a Principe proprio motu concessum, esse largissime interpretandum, ad instantiam vero alterius datum, esse restringendum. Luc. d. Penna. qd b. s.

## §. XXVI.

Cæterum usus harum Constitutionem, maxime in Imperio, applicari posset ad ea bona, quæ Imperio aperiuntur, & rursus ex Constitutione Aureæ Bullæ Caroli IV. & Capitulationibus in feudum concedi prohibentur, sed in usum Imperii sunt servanda. Struv. Synt. feud. C. 5. §. 6. num. 1. Hæc igitur si quis proprio jure poposcerit, reus omnino hujus legis violatæ haberi poterit. Quanquam inter bona ista imperii & bona fisci provincialis hoc intersit, quod illa ne quidem motu proprio Imperatoris concedi possint, sicuti habent expressa Capitulat. Leop. verba art. 30. Wann auch Lehren dem

D 2

Reich

Reich und Uns bey Zeit unserer Regierung durch Todes Fall oder Verwirckung eröffnet, und lediglichen heinsfallen werden, so etwas merckliches ertragen, als Fürstenthümer, Graffschäften, Städte und dergleichen, die sollen und wollen Wir ohne Vorwissen der sieben Thurfürsten ferner niemand leihen, auch niemand einige expectanz oder Antwartung darauf geben, sondern zu Unterhaltung des Reichs unser und unser Nachkommen der König und Käyser behalten, einzichen und incorporiren.

### §. XXVII.

De usu harum Constitutionum in Gallia testatur Christin. ad C. b. t. dec. 15. n. 7. Ex Rebuffo locum allegans, sequentibus verbis: *Ubi traditur quod dominio contra præmissa non valeat, & per importunitatem concessa nullius sit momenti, subdens idem statuisse Ludovicum II. Anno 1457. per hæc verba: statuimus & ordinamus, quod de cætero aliquod ex officiis nostris non conferemus, nisi vacet per mortem aut resignationem sponte statim de consensu resignantis, de qua prius constabit: vel per forfaturam primirus judicatam & declaratam secundum justitiae terminos per judicem competentem, de qua similiter apparet: Quod si per inadvertentiam aut requirementis importunitatem contrarium fecerimus, id nunc pro ex tunc revocamus & annullamus: quodque litteræ non confiantur, vel expediatur, & si factæ fuerint, illis vel aliis quibuscumque super hoc a nobis obtinentis fides non adhibeatur, nec propterea aliquis ab ejus officio desti-*

*destituatur, nec in eodem inquietetur.* Et sic concessio Regis Francie contra suam pronunciationem est nulla, quia is præsumitur circumventus.

### §. XXVIII.

In iure canonico hoc potissimum Pontifices applicant ad ecclesiæ & præbendas, quæ non vacantes alteri conferri nequeunt, & collatio de facto attentata nulla & invalida censetur. *c. 1. & seqq. de conc. præbend. & Eccles. non vac.* ita, ut nec promissio in genere de beneficio primum vacaturo facta valeat. *c. 13. d. r.* Qualiter etiam mandata de providendo & gratiæ, quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam collegiis, universitatibus, senaribus & aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi debent, nec hactenus concessis cuiquam uti licet. *Concil. Trid. sess. 24. c. 19. Gon. zol. ad Reg. 8. Cancellar.* *§. 1. proœm. n. 64.* De usu in terris protestantium uberiori *conf. Brunnem. Jus Ec-*  
*cles. l. 2. c. 4. &c. 10.*

### §. XXIX.

Ad usum juris civilis præter superius monita addere hic licet ea, quæ de experte dignitatibus & officiis publicis DD. monent, quod nimis non nisi vacantia peti possint, propter odium voti captandæ alienæ mortis. *l. ult. C. d. past.* quod tali petitioni subesse videtur. Idem parro adhuc transferunt ad im-

D 3

mode-

moderatas Principum donationes, quas a successore  
licite revocari posse tradunt. Grammat. voto 28. n. 14.  
Bald. in cap. cum olim. col. 3. d. re judic. idemque in  
reliquis juribus & privilegiis, quæ ad Remp. spe-  
stant, statuunt. Illustr. Dn. de Lyacker. d. beneplac.  
scit. 2. c. 3. num. 3. Schweder. Jur. Publ. part. spec. scit. 2.  
c. 14. num. 3.

### §. XXX.

Plura hoc referri potuissent de iis, quæ in gene-  
re & specie ad bona vacantia & delata pertinent, sed  
quia temporis spatio excludimur, B. L. ea inveniet in  
Ill. Dn. Heroldi Observat. Consultar. Decisiv. 31. Quare  
hic pedem figimus, & uti in nomine Dn. nostri Jesu  
Christi initium fecimus, in cuius nomine ad omnia  
consilia omnesque actus semper progredi debemus  
l. 2. C. d. Off. Präf. Præt. off. ita in ejus  
nomine etiam sit.


F I N I S.





876





Jena, Diss., 1699

f



Ta-20c

nur M. Stock aufg.

WNT 1018

WNTkant 12





# Farbkarte #13

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
B.I.G.																				
Black																				
3/Color																				
White																				
Magenta																				
Red																				
Yellow																				
Green																				
Cyan																				
Blue																				

ACADEMICA

ONIBVS  
M FISCO  
ORVM

1699

efallener Suther,

o. Tit. 12. Cod.

M

ESIDIO

WILDVOGELII

SERENISSIMI DVCIS

STATVS INTIMI, CVRIÆ

TVS, NEC NON FACVL-

SORIS, VT ET PRO-

ECT. ORDIN.

QVISITIONI SUBMITTET

IANVS TIMMEN,

VRG.

A.O.R. MDCXCIX.

RGAE

HAKIANA.

LVIII.

(4)

1699